

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio XLIII.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

ZACHARIA DÜST

Lengensfeldenſi Varisco.

Dominica XII. post Trinitatis.

A. O. R. cl. 13c. III.



HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris Oel-
schlegely



ANALYSIS

EVANGELII
DOMINICA XII. POST TRI-
NITATIS.

Marc. 7. à vers. 31. usq. ad fin. cap.

Περγαύλιον.



*Commendantur opera creatio-
nis hac clausula Gen. 1. v. 31. vi-
ditq. Deus cuncta quae fecerat, &
erant omnia valde bona. Opus au-
tem redemptionis nequaquam cedit operi crea-
tionis: siquidem est ejusdem potentia. Ergo &
meretur idem elogium. Omnia sunt valde bo-
na. Id uti ex aliis constat, ita etiam ex Evan-
gelio presenti.*

THESIS I.

*In quo habetur partim speculum hu-
manae miseriae, ubi miraculum, cujus tamen*

Bb

cir-

circumstantiarum allegatio. v. 31. In quò
 tùm tempus : & rursum egressus. Postquam
 scilicet Cananae filiam à Damone liberave-
 rat, Matth. 15, 21. Marc. 7, 14. Non enim diu
 moratur in Gentilium locis, inquit Theophyl.
 in cap. 7. Marc. sed transit statim, ne daret
 occasionem Judaeis dicendi, quod praevaricare-
 tur legem gentilibus se miscens. Secedens igi-
 tur à finibus Tyri & Sidonis vadit in Galila-
 am. Ut ita quæreretur salutem hominibus, mo-
 do huc, modo illuc abiit, quo paulò ante ob He-
 rodis tyrannidem in illos fines se receperat :
 Matth. 14, 10. Modo iterum recedit, ut con-
 gregaret omnes, sicut gallina congregat pullos
 suos Matth. 23, 37. ut omnes convertantur
 Ezech. 18, 33. ubi vis resipiscant Act. 17, 30.

2. Et locus tùm externus respectu
 termini à quo : de finibus Tyri & Sidonis.
 Quae erant civitates maxima, emporia ante-
 nissima & florentissima ad mare Syriacum in
 Phœnicia non procul à Palestina sita versus
 Aquilonem : & quidem Sidon terminum re-
 gionis Judaeae constituebat, ut habet Hiero-
 nym. in locis Hebraeorum. Utraq; ab Ocho
 & Alexandro tandem eversa & deleta Ela. 330
 1. Et Egesippus lib. 5. cap. 53. de excidio
 Hiero-

Hierosolymitano. Ut discamus Dei iram ad-
versus ingratas civitates.

3. Et respectu termini ad quem : ve-
nit ad mare Galilææ. Hoc est, ad stagnum
Genezareth. Per Synech. enim omnis lacus,
stagnum mare vocatur. Ut ostendatur Chri-
sti humanitas, qui, quamvis ex Judaæ per He-
rodis tyrannidem pulsus, rediit tamen, nec ul-
tra dimidium anni tempus abesse voluit, fides
circumcisionis magister Rom. 15, 18.

4. Proximus : Per medios fines deca-
polis. Decapolis suã habet originem à Salomo-
ne, qui, ut beneficium Regis Hieramis compen-
saret, donavit ei 20. oppida in terra Galilææ;
sed quia ei non placuerant, vocavit Chabul,
dum decem cis, decem trans Iordanem sua Es-
sorumq; littus arenosum occupabant 1. Reg. 9.
12. in longitudine milliarium triginta & la-
titudine non minus, ut sunt Abela ubi Bileam
asina locuta Num. 22, 21. Astaroth ubi Og
rex Basan habitavit Jos. 9, 10. Chorazim, cui
Væ ingeminavit Christus, Matth. 11, 21. Edrei
ubi Og cruciatus Num. 21, 35. Gadara ubi
submersi porci, Matth. 8, 32. Gamala ubi Regis
Egypti brachium dextrum fuit vulneratum
Joseph. lib. 4. cap. 1. de bello Judaico. Jabes,
ubi Saul concubulatus 1. Sam. 1, 13. Julia ab

*Herode in honorem Juliae edificata. Mitzpa
ubi Sephtah filiam suam immolavit Jud. 11,
34. Et Ramoth, ubi Achab vulneratus periit,
1. Reg. 22, 29. Videatur & Plinius lib. 5. c. 18.
Et Tyrius lib. 13. belli sacri cap. 18. Ita nimi-
rum Christus nullum locum dedignatus. Sa-
maritanis predicavit Joh. 4, 40. Hic fines de-
capolis transiit, & tandem Apostolos suos in
universum orbem ire iussit Marc. 16, 15.*

5. Tum ejusdem miraculi declaratio :
in qua occurrit aegroti allatio. v. 32. In quo
partim effectus a causa impulsiva, ratione
objecti quoad auditum: & adducunt ei sur-
dum. Ubi Beda inquit: ille surdus, salvatorem
agnoscere, mutus rogare nequibat: adducunt
autem eum amici & pro ejus salute Domino
supplicant. Sic nimirum, sic in spiritualibus
necesse est curatione geratur: ut si quis huma-
na industria ad auditum confessionemq; veri-
tatis converti non possit, divina pietatis offera-
tur aspectibus, atq; ad sanandum eum superna
manus flagitetur auxilium. Nec tardet caele-
stis misericordia Medici, si intentia predicanti-
um non hesitat, nec deficit oratio. Surdus ve-
rò fit quatuor modis, uti habet Ambrosius in
Hexaemero scilicet, ex defectu attentionis:
dum anima a se sui uni intendit, & ab alio pro-
cedent

eodem continenti necessario se avertit: Et sic surdi quidam spiritualiter existunt, qui dum mundanis curis intendunt, Christum in cruce clamantem non audiunt. Secundo, ex impedimento exterioris occasionis, sicut si terra, lapis, vel aliquid in aurem cadit, contingit, ut homo non audiat: Et sic spiritualiter sunt, qui in aere cordis possessiones, domus, pecuniam ponunt: Tertio propter vehementiam violenta impulsione: unde incola terra illi quibi oritur chalybs propter nimium & horrendum fragorem, quem fluvius ipse facit, dum de precipitio montis inferius cadit, omnes sic surdi sunt, ut sonitum illum aure non sentiant: Hoc autem modo spiritualiter, qui ululantem infernum non audiunt, nec pœnas aeternales attendunt. Quarto propter realitiam interioris complexionis: Fit enim homo surdus ex humoribus oppilantibus nervos auditivos, & ostia aurium replentibus: Et hoc modo surdi sunt, qui non audiunt conscientiam interius arguentem, ait Bonaventura serm. 113. Inde surdum esse multo majus malum quam cœcum, quia cœcus per auditum multa potest discere, surdus verò plane nihil. Unde auditum visus præfert Bernhard. serm. 28. super Canticum: & Ambros. inquit præstantissimum audiendi munus est &

visui super gratia lib. 6. Hex. Inde Cræsus licet haberet duos filios, tamen dicebat, filius mihi unicus est; namq̄, alterum auribus captum, nullum existimabat, ut habet Herod. lib. 1. cap. 38. Et Aristoteles ait in libro de sensu: Nihil in homine esse, quo facilius aliquid disci possit quàm per auditum.

6. Et quoad linguæ vitium: impeditæq̄; linguæ, seu *μωυλάλον*. Atq̄, ita non tantum surdus est, sed difficilioris etiam lingue, qui a quæ & mutus, quemadmodum & Matth. 10, 20. ita appellat eum. Quod habet & Aristot. lib. 4. Hist. cap. 9. qui surdi jam inde à natura etiam muti, propter cognationem nervorum. Et in fine Evangelii expressè dicitur, quod Christus fecerit mutos loqui. Spiritualliter etiam hi defectus reperiuntur in nobis, unde Augustinus lib. 1. quæst. Evang. cap. 19. Heu miser generis humani defectus, ait: Mutos, intellige, qui Dominum non laudant, vel non confitentur fidem. Surdos qui non obtemperant, etiam si intelligunt. Is audit, qui divinas voces & præcepta vitalia pectori suo affigit: is loquitur, qui cœlestia differens Dei virtutem & majestatem Dei singularem enarrat, habet Lactan. lib. 6. instit. divin. cap. 9. Atq̄, ita discimus miseriam hominis; simulq̄, quantum

bonum fit sanitas & integritas natura Hieron.
ep. 26. Quid boni habeat sanitas languor osten-
dat. Caveamus verò, ne irrideamus tales vel
minime contumeliam irrogemus, quia ipsi
Deo, habet Ambros. in Psal. 118. serm. 10. in
his contumeliosi fuisse videbimur.

7. Respectu Christi quoad formam:
& deprecantur eum. Cùm enim ipse quod
habet Taulerus serm. 2. hujus Dominicæ,
mutus esset, rogare nequibat. Ideoq; alii pro eius
salute Domino supplicant. Ut discamus huma-
nitatis officia miseris etiam prestare homini-
bus. Sic seniores Judæi pro centurione Luc. 7, 5.
Sic vicini paralyticum ad Christi pedes defe-
runt Matth. 9, 2. Cùm jubeamur aliàs pro
omnibus hominibus orare, 1. Corinth. 1, 2. im-
primis pro agrotis Jac. 5, 15. non quasi alienis
salvemur fide, cum expressè dicitur Hab. 2, 4.
Quod justus sua fide vivat; sed quia jubemur
1. Joh. 5, 16. ubi habetur, qui scit fratrem suum
peccare non ad mortem, petat, & dabitur, vita
non peccanti; & Paulus jubet: ut pro omnibus,
etiam inimicis rogemus 1. Tim. 2 25. quo Deus
det illis pœnitentiam ad agnoscendam verita-
tem.

8. Quoad finalem causam: ut impo-
nar illi manum, Per meton. causæ instru-

mentalis pro effectu, petunt sanationem mi-
 raculosam, quia audiverant & viderant quod
 turgendo mandarar leprosum Matth. 9, 3. Sa-
 narat febricantem socrum Petri, Matth. 8, 15.
 filiam Jairi Matth. 9, 25. filiam Abraha,
 Luc. 13, 16. Et alias in benedictionibus manus
 impositio adhibita Matth. 19, 14. In sacrificiis
 Lev. 1, 4. In Spiritus sancti effusionibus Act.
 8, 17. In vocationibus tam politicis Num. 17,
 26. quam Ecclesiasticis, Num. 8, 17. Non qui-
 dem ex necessitate, sed ex libertate. Est enim
 manus impositio, uti habet August. lib. 3. con-
 tra Donat. cap. 6. nihil aliud quam oratio su-
 per hominem. Et in confirmatione puerorum
 & baptisatorum in primitiva Ecclesia impone-
 bantur manus Act. 8, 17. uti Hieron. in Epist.
 58. ad Lucif. An ignoras in Ecclesia esse con-
 suetudinem Baptisatis postmodum imponen-
 di manus, ut Spiritus sanctus super ipsos invo-
 cetur. In ministrorum ordinatione etiam ad-
 hibetur in 2. Tim. 1, 6. & 1. Tim. 4, 14. Act 6,
 7. & 8, 17. ad designationem officij, uti Moses
 hoc ritu vocationem successoris sui Josue de-
 signat Deut. 34, 9. Alias Christus in ordina-
 tione Apostolorum non usus est manuum im-
 positione, sed insufflatione Joh. 20, 22. & Matt.
 10, 21. Septuaginta discipulos misit sine suffla-
 tione

tione & manuum impositione, cum sit ex liber-
 tate, non ex necessitate, ut dictum. Non tamen
 est licitum uni ac alteri omittere, sed quia to-
 ta Ecclesia iam recepit, merito propter utiles
 admonitiones retinetur, uti in absolutione, ita
 etiam in ordinatione. Simulq; colligitur non
 tantum bona spiritualia, sed etiam corporalia
 posse nos petere, tamen ut praferantur spiritua-
 lia, inquit Chrysostr. in Gen. 29. hom. 54. Ne
 igitur ea, quae accessoria sunt, quasi primaria
 pete, ne invertamus ordinem, sed quaramus il-
 la, sicut praecepit, ut *Haec & illa habere liceat;*
 & tamen ad necessitatem, uti monet Bern-
 hard. de quatuor modis orandi: Tempora-
 lia, inquit, quidem petenda sunt, quantum ne-
 cessitas humana requirit: quia scimus Deum
 etiam authorem bonorum corporalium esse Ja-
 cob. 1, 17. Huius benedictio divites facit Prov.
 10, 22, quia adjicit nobis caetera Matth. 6, 33.

9. Et Christi susceptio, cujus notanda
 in gestibus curatio v. 35. In quo summarim
 antecedens: & cum apprehendisset eum de
 turba seorsum. *Idq; ideo factum,* inquit
 Theophylactus, quod non erat arrogancia se-
 ctator, qui se humiliarat usq; ad nostram inopi-
 am, & ut plurimum coram multis noluit mi-
 racula facere, nisi forte propter videntium uti-
 lita-

litatem: ut cum volumus, inquit, facere misericordiam & eleemosynam, turbam & frequentiam hominum fugiamus, ut nostra eleemosyna sit tanto magis Deo grata, quanto magis ab aspectibus hominum occulta, velut à nemine impedita: namq; prima salutis spes est, quemlibet assuetos vitiorum tumultus turbasq; deserere: & sic ad suscipienda sanitatis munera humiliter caput inclinare, ait Beda.

10. Consequens explicatim, tum quoad instrumentum: & misit digitos in auriculas ejus. Id est verba Spiritus, habet glossa ordinaria: ut audiat, cum per dona spiritualis gratia diu non credentes ad auditum sui verbi convertit. Per digitos namq; dona significari Spiritus sancti, & ipse docet, ait Beda. Eoq; ipso insigne humilitatis exemplum prabet: neminem enim spernit, neminem abjicit, neminem perhorrescit, nisi forte quis amens ipsum exhorruerit, ait Aug. lib. med. cap. 2.

11. Tum, sputo emisso tetigit linguam ejus. Ut ostenderet omnes partes sanctae carnis suae sanctas & divinas esse. Adeo ut sputum solveret lingua vinculum; tametsi superfluitas sit omne sputum, sed in Domino admirabilia & divina erant omnia, habet Theophyl. Spu-
tum,

rum, quod à capite in os defluit, divinitatem Christi significat, quia caput Christi Deus: habet Cyrill. cap. 14. lib. 6. in Joh. Et Gregor. ait homil. 10. in Ezech. Quid est quod Christus exspuens linguam ejus tetigit? Saliva nobis ex ore redemptoris est sapientia accepta in eloquio divino. Et ut sputum hominis jejunecat serpentes, ita necat sputum Christi Diabolum.

12. Et verborum pronunciatio. v. 43. in quo partim facta tum respectu oculorum: suspiciens in cœlum. Ut unde nobis speranda salus significet, habet Beda. A Deo enim nobis auxilium qui fecit cœlum & terram, Pl. 121, 2. Ad Deum merito oculos erigimus 2. Par. 20, 12. Quoties igitur pro infirmitatibus corporum vel animarum hoc est pro peccatis meminerimus exorare Deum, vehamus intentionem mentis nostra illuc, nempe in cœlum, ait Hieron.

13. Tum respectu animæ: ingemuit. Nempe ob maximam generis humani corruptionem & eius mala, ut habet Theoph. Non quod ipse necessarium, dicit Greg. hom. 10. in Ezech. gemitum haberet, qui dabit, quod postulabat, sed nos ad eum gemere, qui cœlo praesidet, docuit, ut & nobis, qui à celestibus

bus gaudiis per terrena oblectamenta discessimus, ad hac per gemitus & suspiria insinuaret esse redeundum, habet Beda; expressitq; medici affectum, habet Ambros. in Psalm. 34. qui etiamsi ipse nullum haberet vulnus quod doluit, tamen compassus est vulneratis.

14. Partim dicta, & Syriacè: & ait ille Ephatha. Est verbum imperativum à radice Patha, quod significat patefecit. Voluitq; Christi hoc verbum retinere Marcus ad demonstrandam potentiam Christi verè divinã, dum unico verbo saltim surditatem & balbutientiam pellit. Quomodo enim debilis ille esse potest, qui aliorum infirmitates imperiali unico verbo sanabat? habet Ambros. lib. 4. de Fid. c. 3. Ut qui omnia potenter verbo creavit Sap. 16, 12. ad Hebr. 1, 2. Et Græcè: quod est aperire. Propter aures dicit sanandas, quas surditas clauserat. Auris enim prima mortis janua, inquit Bernh serm. 28. in Cant. Gestibus verò & ceremoniis his ex libertate usus est: nullibi enim sunt mandata; nullibi etiam repetita. Et quamvis interdum non male consilio adhibeantur, ad virtutem & operationem adumbrandam & significandam: propter abusum tamen non facile sunt usurpanda, nisi sint usitata, ne supersticio creetur. Interim in
verò

verò & genuino usu ceremonia non sunt omittende.

15. Effectus est partim speculum divinæ gratiæ, & est tum muti & surdi sanatio v. 35. In quo quoad auditum, occurrit modus: & statim aperta sunt ejus aures. *Quum Deo idem dicere ac facere*, ut habet Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. *Iussit Dominus & factum est cælum*, ut habet Amros. lib. 4. de sacramentis c. 4. *Iussit Dominus & facta est terra*, *iussit Dominus & facta sunt maria*. *Iussit Dominus & omnis creatura generata est*. Vide ergò quàm imperatorius sit sermo Christi. Surditas quidem ab accidente sanari potest per medicos, sed non originalis & chronica, ut habet Paulus Medicus lib. 3. cap. 23. *Ut discamus Christi omnipotentiam, qui potest vocare, quæ nihil sunt ut sint Rom. 4. 17.*

16. Et quoad sermonem, cuius antecedens: & solutum est vinculum linguæ eius. *Quæ metaphorica restituta loquela est descriptio*. *Et beati sunt, quorum os Dominus aperit, ut loquantur*. *Nostrum ergò cor aperiatur Christo, & claudatur Diabolo; ut in nobis impleatur illud, quod de Domino & populo sancto scriptum est: & habitabo in eis.*

ut

uti loquitur Augustinus serm. 86. de Tempore.

17. Et consequens: Loquebatur rectè. *Perfectè*, quo integra facultas loquendi restituta intelligatur. Syrus vertit facillimè: qui & addit in illa hora. Et sanè ille solus rectè loquitur vel Dominum confitendo, vel aliis predicando, cuius auditum divina gratia reserat, cuius linguam Dominus instruit, ut habet Gl. ord. ex Beda. Non verò rectè loquimur nisi quantum Deus adjuverit, ait August. lib. 7. cap. 1. ad Gen. Nam inerat huic virtuti alia significatio, ait Lactant. l. 4. de vera sapientia cap. 26. qua ostenderet mox futurum, ut rerum cœlestium nuper ignari percepta sapientia disciplina, de DEO & veritate differerent. Nam qui rationem divinitatis ignorat, is verè elinguis & mutus est, licet omnium sit disertissimus: lingua enim cum verum loqui cœperit, id est virtutem maiestatemq; DEI singularis interpretari, tùm demum officio naturæ suæ fungitur: Quam diu autem falsa loquitur in usu suo non est: Et ideo infans sit necesse est, qui divina proloqui nequit. Rectè ergò loquamur eloquia Dei 1. Pet. 4, 11. In-stitiam Psalm. 582. veritatem Psalm. 15, 2.

18. Respectu populi est gratulatio, ubi
ejus

eiusdem prædicatio. v. 36. In quo mandati effectus : & præcepit illis, ut nemini dicerent. *Ne 1. videretur vanam gloriam affectare. 2. ut lateret adhuc dum : & 3. quia adhuc non erant idonei prædicatores. Et quidem nobis exemplum dare voluit, habet Beda, ut virtutum opera facientes vitium iactantiae per omnia, gloriamq; vitemus humanam; ne bona nostra actio per inanem vulgi favorem supernae retributionis munere privetur. Non ita tamen dictum quis aestimet, habet iterum Beda, quasi bona facientes fraternos debeamus cavere aspectus, cum Dominus dicat: *Luceas lux vestra coram hominibus. Sed ut per opera, quae fratribus ostendimus non laudem ab illis, sed profectum queramus: hoc enim est quod sequitur: Et glorificent patrem vestrum. Nam qui ea intentione bona ostendunt opera, ut ipsi soli laudentur, non autem ut laudantes in bono proficiant, acceperunt mercedem suam.**

19. Et eventus, per comparationem majorum & minorum: at quanto magis eis præcipiebat tanto magis prædicabant. Ille propter humilitatem fugiebat gloriam iactantiae, dum alias honor fugientem sequitur: Ideo secundum Augustin. & Chrysostomum fuit præceptum non obligationis, sed tantum instructionis. Ideoq; non
pec-

peccarunt. Virtutes enim divinas tacere non potuerunt, qui tacendi praeceptum acceperunt; multo magis est nobis divina gratia praconis insistendum, qui quotidianis invicem nos verbis ac caelestibus alimoniis reficere praecipimur, ait Beda.


10. Et glorificatio, v. 37. in quo factum: & super modum stupebant. Quia tale factum non factum. Magnum quidem est, quod asina loquuta est 1. Reg. 22, 21. sed hic surdus audit & mutus loquitur recte & perfecte.

21. Dictum in genere: omnia bene fecit. Ergo non potest male fecisse quicquid etiam fecerit. Opus creationis, inquit Bonaventura serm. 103. fuit indicativum potentiae, quia de nihilo cuncta fecit: opus vero reparationis fuit manifestativum benevolentiae, quia opus perditum reparavit, & bene omnia fecit. Male ergo, inquit discipulus de tempore. serm. 108. reprehenditur ob inequalitatem distributionis bonorum a pauperibus. Male ob ordinationem temporum. jam nimis pluvie, jam nimis ningere, jam nimis tonare. Male ob inequalitatem coarguitur puerorum, quod saepe pauperibus multos, quos pascere nequeunt; divitibus autem paucos vel nullos largiatur liberis

ees vel nullos largiatur liberos, malè ob impru-
dentiam gubernandi mundum. Recte habet
Arnob. l. 2. adv. gent. Hoc tenemus, hoc no-
vimus in hac una cōsistimus cognitionis & sciē-
tie veritate, nihil ab eo fieri nisi quod sit omni-
bus salutare, quod dulce, quod amoris & gau-
dii letitiæq; plenissimum.

22. In specie, quoad auditum: &
surdos facit audire. Ut discamus & primum aperire
aures, ut audiamus & discamus, postmodum
loquamur.

23. Quoad sermonem: & mutos lo-
qui. Nam quæ audivimus illa sunt postmo-
dum dicenda. Et quoq; uti historię habent,
è linguis locuti sunt, uti ait Prudentius in
peri Steph. v. 928. Etiam exsectis linguis ra-
dicibus, uti habet Procop. lib. 1. de bello
vandalico & lib. 1. C. de officio Præfect.
Prætor. Africae, Niceph. lib. 16. hist. Ec-
cles. c. 11.



NOTÆ.

I.

A Dducunt surdum) considera nos
mutos esse & surdos in spiritualibus,

C C

us

ut discas tandem audire & loqui, si vis esse
Christianus.

II.

CHristus seorsim duxit) considera
ritibus usum esse Christum; ut discas
pravam societatem vitare, gratiam spiri-
tus sancti implorare & propter sapientiam
ingemiscere.

III.

ET præcepit illis,) considera Chri-
stum recusasse vanam gloriam; ut di-
scas eandem fugere, ac Dei gloriã de præ-
dicare.



CASUS I.

An muti & surdi etiam admittendi
ad sacra?

Non videtur: 1. quia ut plurimum si
natura muti, sunt etiam surdi. Arist.
2. Non possunt edere confessionem,
sine qua nulla salus Rom. 10, 10. non au-
dire

dire verbum DEI, sine quo nulla fides
Rom. 10, 17.

3. *Jura etiam statuunt: quod apud
talem intellectus operatio non sit, Obrecht.*
disp. 10. de procuratoribus c. 2. propo-
sit. 14. *Et est velut infans l. 1. ff. de V. O.*
Tiraquel. de privil. piæ causæ 9. vers.
contrarium; comparatur mortuo arg.
l. jubemus 29. v. Si enim talis, ibiq;
Gothfred. C. de testamentis. *Nec ma-
trimonium contrahere Alexand. conf.*
143. Cypræus de jure connub. part. 1.
cap. 4. §. 24. n. 3. *Nec testamentum con-
dere si mutus. 7. ff. qui testamētū fa-
cere possunt. Nec stipulari non potest l. 1. r.*
ff. de V. O. *parum à brutis differt Zach.*
qq. medicoleg. lib. 2. tit. 1. q. 8. n. 27.

*Contra 1. hic adductus mutus & sur-
dus. Et aliās fecit illos loqui, hos audire.*

2. *DEUS & mutum & surdum
fecit. Exod. 4, 11.*

3. *Jura statuunt quòd possit matri-
monium contrahere si per signa declaret*
l. mutus 73. in pri. ff. de jure dotium.

c. cum apud 23. cap. tua 25. ibiq. & Fe-
lin. & Panorm. de sponsal. Kitzel.
Synops. marri. cap. 4. th. 7. lit. a. etiam
testari l. 4. ff. de test. milit.

4. Etiam si signa præbent admittuntur
ad sacram synaxin, quia possunt informa-
ri per picturas quod habet Damas. lib.
4. Orth. fid. c. 17. Et Hieronymus in
epist. ad Gal. inquit: qui surdi nati nuti-
bus & quotidiana conversatione possunt
Evangelium discere; habet & anima suas
aures, quas qui habuerit, non magis opere in-
digeat auribus corporis.

Ad contraria, 1. Licet: tamen etiam
DEUS in illis efficax est quum homo ali-
as ad sui conversionem planè nihil faciat,
& sit mortuus.

2. Fall. secundum quid. Licet non
verbis manifestis, tamen signis intelligibi-
libus: & inspiciendum quid ordinariè fiat,
& extraordinariè contingat.

3. Jura quidem asserunt quòd diser-
tè suam mentem significare non valeat,
quoad loquelam, & sic sit similis mortuo
quoad

quoad intellectum mentis & animi, quoad
 iudicium tamen mortuo non assimilatur,
 quippe qui mentis compos est & testamen-
 ti factionem nuda voluntate per signa
 sufficienter declarare valet l. in fraudem
 15. §. 1. & l. Lucius 40. in prin. de Te-
 stam. milit. Bocerus de bello lib. 1. c.
 20. n. 16. Nec l. 7. ff. de illis qui testa-
 menta, obstat, quia olim erat potestas
 quidem, sed ut adirent principem, quod
 ex novissima constitutione remissum l. dis-
 cretis 10. C. qui testamentum facere
 possunt.

Deinde etiam alia ratio in talibus ci-
 vilibus, alia in spiritualibus. De stipula-
 tionibus hoc habendum; quod sit contra
 naturam stipulationis, in qua requiritur
 conceptio verborum l. stipulat: 5. §. 1. ff.
 de verb. obl. l. 1. §. verbum 7. ff. de ob-
 lig. adeo ut nec hic scriptura suppleat,
 quia forma cuiusq; rei servari debet l. cer-
 ta forma 4. C. de jure fisci. In aliis scri-
 ptura sermoni equiparatur l. 75. in juri ff.
 de legatis. 2. interim tamen per servum

Et alium potest l. 1. in pri. ff. de V. O. Fal-
 lacia divisionis est, possunt procuratorem
 dare. l. 43. ff. de procurat. quamvis Ob-
 rect. videatur negare, ipse quidem esse ne-
 quit l. 1. ff. de postulando. Duarenus
 addit ff. de procurat. c. 4. v. queritur Vi-
 deatur Balduin. l. 2. c. 12. cas. 12. in casi-
 bus conscientia, Hieronimus super c.
 3. Gal. inquit: Quærat quispiam, si fides
 non est, nisi ex auditu, quomodo, qui surdi
 nati sunt, possunt fieri Christiani? Deum
 quippe Patrem ex magnitudine & pulchri-
 tudine creaturarum potest quis intellige-
 re, & à conditionibus conditor consequen-
 ter agnoscitur. Christi autem natiuitas,
 crux, mors, resurrectio, nisi ex auditu sciri
 non potest. Aut surdi igitur Christiani
 non sunt, aut si surdi non sunt Christiani,
 falsum est, quod alibi ab Apostolo dicitur:
 itaque fides ex auditu, auditus autem per
 verbum Dei. Ad quod qui simplici re-
 sponsione non contentus est. dicit, non ge-
 neraliter eum dixisse: fides omnium ex au-
 ditu est, sed fides ex auditu, quod & in par-
 te, &

te. & in toto accipi potest: eorum scilicet fides ex auditu, qui audiunt, qui credunt. qui autem huic scrupulo satisfacere conatur, prius illud tentabit asserere, quod nuntibus quoque & quotidiana conversatione, & ut ita dixerim, totius corporis loquente gestu surdi possunt Evangelium dicere. Deinde etiam hoc, quod Dei sermo, cui nihil surdum est, ad eas magis loquatur aures, de quibus & ipse ait in Evangelio: qui habet aures audiendi, audiat. Et in Apocalypsi: qui habet aurem audiat, quod spiritus dicat in Ecclesiis. Et Esaias: Dominus addidit mihi auriculam, iste est alius homo, cui Deus loquitur in occulto, qui clamat in corde credentis: Abba pater. Et ut frequenter exposuimus, quomodo corpus omnia membra sensus habet; ita animam quoque universos & sensus & membra habere, & inter cetera aures. Videtur etiam Balduinus in comment: super Epistolam ad Romanos. Gerhard. Tom. 5. L. C.

CASUS II.

CASUS II.

An quilibet præsumatur bonus?

Ita videtur. 1. Quia Deus omnia be-
nefecit & bona Gen. 1, 33.

2. Quia jura ita loquuntur l. moniff.
pro socio c. fin. de præsum.

Contra 1. omne figmentum cordis
humani malum est Gen. 6, 5.

2. Omnis. et as. c. 12. q. 1. natura mater
vitiorum c. prid. 20. q. 1. ut expetiat vi-
am potius prævidere malis quàm experi-
entiam expectare.

Ad contraria 1. Fall. Causa: Nam
alia ratio est divinorum operum, quæ bona
fuerunt, sed postea malitia Diaboli facta
mala; Et rerum aliarum & potissimum
hominis post lapsum.

2. Jura loquuntur de iis, quæ non ha-
bent causam contrariam: & tum bonitatis
presumptio cessat, ubi apparent malitiæ te-

Simonia Tholos. Syntag. l.

41. n. 22. c. 5.



Arida cuncta manent ubi non est Chri-
stus: at illic,
Est ubi macra vegent, pingua cuncta ma-
dent.

Vnde Tyri Sidonis item de sinibus urbes
Idem per denas transit usq; mare.
Adducunt & ei surdum, cui nulla loquendi
Forma, rogant in eum ponat ut ipse manus.
Hunc ubi prehendit de turba misit in aures
Et digitos sputo, tactaq; lingua fuit.
Suspicit in cœlum, gemuit suspiria, dicens:
Ephphata quo Latius, mox aperire, notat.
Auris aperta statim fuit utraq; totaq; lingua
Vis resoluta: loqui verba diserta potest.
Ist hac ne vulgarentur precepit: at istud
Quo magis hoc magis id predicat omnis
homo.

Turba stupet dicēs benè singula fecit, & audit
Dum surdus, mutus dum loquiturq; benè
Sic auris totus sis, totus lingua futurus,
Mutus n̄ dicas cœlica, surdus eris.
Talia proponit nobis & DÜRRIUS. At hæc
Pergat, erit vegetus pinguis eritq; sacer.

ita optat
GUEINZIUS.
Hy-

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



TIARUM
ELICARUM

titio XLIII.

ÆSIDE

O GUEINZIO

*fii Hallensis
rectore*

condente,

RIA Dũ dũ

denũ Varisco.

l. post Trinitatis.

ch. l. c. III.



SAXONUM

m Melchioris Oel-

hlegely

